

possit concedi dispensatio, poterit in posteriori ex vi ejusdem indulti, quia in eo non postulatur ut causa illa toto tempore duret, sed solum ut subsistat, quando datur dispensatio, quia illud sufficit ad justitiam dispensationis. Dices: ergo, licet in principio, quando fuit postulata et obtenta commissio dispensationis, causa non extitisset, si postea, cum de facto datur dispensatio, causa existat, id satis esset ut dispensatio esset valida. Respondeo negando sequelam, quia si in principio causa non existeret, dispensatio fuisset subreptitia, ac subinde invalida quoad ipsam delegationem, juxta dicenda in capite sequenti; et consequenter dispensatio postea subsecuta non posset esse valida, ob defectum potestatis in proximo dispensante, seu commissario. Secus vero est quando narratio in principio fuit vera: nam tunc delegatio valida fuit, et postea cessante causa non extinguatur omnino, nisi causa etiam perpetuo cesset. Et hæc doctrina circa hanc conclusionem explicata, ut censeo, est communis doctorum quos statim referam.

15. *Ad quem statum dispensatio pervenire debet ut licite possit exerceri.*—Dico secundo: si dispensatio ad secundum statum pervenit in quo vinculum legis simpliciter sublatum est, etiamsi causa cesset ante tertium statum, id est, ante executionem dispensationis, non cessat neque tollitur dispensatio, sed licitum est ea uti. Probatur, quia gratia dispensationis consummatur et perficitur in relaxatione legis, seu ablatione vinculi, aut impedimenti per legem introducti; ergo non revocatur propter cessationem causæ. Probatur consequentia, quia, licet causa postea cesset, nihilominus dispensatio manet justa et valida; ergo et effectus ejus permanet, quia ille effectus non pendet in suo esse a tali causa. Et confirmatur ac declaratur exemplis. Nam irregularis dispensatus ad ordines propter paupertatem propriam, vel parentum, vel propter indigentiam ministrorum Ecclesiæ, licet postea cesset illa causa ante susceptos ordines, nihilominus potest licite ordinari ex vi illius dispensationis, quia per illam fuit irregularitas simpliciter et absolute sublata, neque est unde redire valeat propter solam cessationem causæ, quia nec ab aliqua lege vel homine fit, nec est verisimile solum fuisse sublata quasi sub conditione, si causa illa duraret usque ad ordinum susceptionem. Talis enim restrictio ex forma dispensationis colligi non potest, nam absolute conceditur: neque est necessaria ad justitiam dispensationis, quia non tenetur dispensans

prævenire effectus contingentes et accidentarios; sed satis est quod eo tempore quo fit dispensatio habeat justam causam. Nam dispensator legis, sicut et legislator, non tenetur considerare rarum et contingentem eventum, sed ea quæ in plurimum accidunt; et ideo illa restrictio est nimis dura et scrupulosa: ergo admittenda non est.

16. Alioqui eadem proportionem dici posset in eodem exemplo, illum irregularem sic dispensatum, et jam ordinatum, cessante causa dispensationis, debere cessare ab usu ordinum, quod nemo dicet. Et sequela patet, quia etiam ille usus ordinum est effectus dispensationis, et quoad illum nondum fuerat consummata dispensatio usque ad tertium statum. Quod si dicas esse effectum remotum, et quasi per accidens, idem dici potest de ipsa ordinis susceptione; parum enim refert quod in ordine executionis propinquior sit ordinis susceptio quam usus ejus, quia in ordine intentionis usus est prior, et maxime intentus per dispensationem; ergo si talis usus absolute conceditur virtute dispensationis prius factæ, sive causa cessaverit, sive non, etiam potuit juste concedi absoluta facultas ad ordines, seu ablatio irregularitatis, quæ duret quoad omnem suum effectum, sive causa dispensationis duret, sive non. Quod si potest ita juste fieri, sine dubio ita fit, cum hoc sit magis conforme verbis dispensationum, ut dixi, et ad providentiam magis benignam et suavem pertinere videatur, ut dixi. Simile exemplum esse potest in dispensatione neophyti, verbi gratia, ut sit capax alicujus dignitatis aut beneficii intuitu virtutis seu honestorum morum quos revera habebat cum dispensatus fuit: nam, licet postea mutet mores et graviter peccet, non amittet dispensationem. Quis enim hoc dicat? Ergo cessante illa causa, etiamsi sola illa dispensationem justificaverit, non cessat dispensatio. Quod si dicas præexistentia merita potuisse justam causam conferre ad absolutam et permanentem dispensationem tribuendam, idem merito dici poterit quoties causa præsens prudenter judicatur sufficiens ad concedendam dispensationem simpliciter et absolute, prout de facto concedi solet in impedimentis matrimonii et in votis. Ex quibus possunt plura exempla et argumenta desumi ad hanc assertionem confirmandam, quæ latius prosequar infra libro 8, ubi similis quæstio de privilegio occurret.

17. Atque hanc sententiam videtur tenere Glossa in regul. *In argumentum*, de Regul. jur., in 6; et clarius Glos. in c. *Ex tua*, de Fil.

Presbyt., verb. *Irritare*, quatenus dicit dispensationem semel concessam non esse revocandam superveniente facto; ergo multo minus per se cessabit. Et idem sequitur Federic. 78; et Angel., verb. *Dispensatio*, n. 14, qui expresse id declarat de dispensatione data quæ nondum pervenit ad ultimum effectum; et idem habet Sylvest., verb. *Dispensatio*, q. 6, n. 11. Præterea idem sentit Panor. in c. *Post translationem*, de Renunt., n. 17, ait enim post jus acquisitum non cessare dispensationem, etiamsi causa cesset: est autem jus acquisitum per dispensationem, quæ jam contulit suum proximum et per se effectum, ut explicat, et sequitur Tiraq. in d. tr. *Cessante causa*, n. 92 et 94; et Gut., l. 1 Canon. qq., c. 15, n. 22, et l. 2, c. 15, n. 30 et n. 32; et plures pro hac sententia refert Sanc., l. 8 de Matrim., disp. 30, n. 13. Nihilominus vero ipse n. 14 contrariam opinionem sequitur, multos etiam referens; et varia fundamenta adducit quæ magis ad privilegium spectant, et ideo in loco citato expendantur. In præsentem vero, præcipuum fundamentum esse videtur, quia dispensatio, ut sit justa, necessario includit hanc conditionem, si causa perseveret, quando executioni mandanda est; alias iniquus esset dispensans, dans licentiam ad operandum contra legem, etiam sine causa. Et maxime hoc declaratur exemplo: nam dispensatio concessa alicui ad comedendum carnes in Quadragesima, propter specialem ægritudinem, cessabit quotiescumque in Quadragesima talis ægritudo cessaverit, quia aliter non esset justa dispensatio; ergo idem dicendum est in omni dispensatione.

18. *Dispensatio respectu totius Quadragesimæ non tota simul, sed successive est intelligenda.*—Sed, licet hæc sententia probabilis sit, assertio posita videtur satis secunda, et simpliciter probabilior, quia fundamentum positum parum cogit: negamus enim dispensationem simpliciter et absolute concessam, et statim habentem suum proximum et per se effectum, includere illam conditionem, seu limitationem, ut effectus non duret non durante causa; oppositum enim ostensum est. Unde etiam negamus dispensationem fore injustam nisi illam conditionem includat, ut etiam probavimus, quia causa præsens potest esse sufficiens ad tollendum vinculum vel impedimentum, ita ut semel ablatum non redeat, etiamsi contingere possit in rebus fieri aliquam mutationem. Ad exemplum vero, respondeo dispensationem illam non esse talem quæ simul et in præsentem tota fiat, quia materia ejus non est

indivisibilis, sed successionem habet. Nam lex jejunii quadragesimalis, licet per modum unius concipiatur, revera virtute est multiplex, et singulis diebus quasi novam obligationem imponit; et ideo dispensatio in illa lege non fit absolute tota simul, et virtute est multiplex dispensatio, et pro singulis diebus veluti singulæ dispensationes conceduntur, et unaquæque propriam causam pro suo tempore seu die requirit. Atque ita, quamvis in eo casu videatur dari simul pro tota Quadragesima, non ita datur ut statim auferat totum vinculum legis pro tota Quadragesima, sed ut successive illud auferat, prout successive obligaverit, si eadem ratio excusationis perseveret. Neque in illa materia potest aliter considerari causa justificans dispensationem, nisi ut habens tractum successivum cum ipsa lege, et ideo in talibus dispensationibus regulariter solet explicari illa conditio; quod si interdum non exprimitur, ideo est quia vel duratio causæ tanquam moraliter certa supponitur, vel quia ex qualitate materiæ tanquam nota relinquatur. Et idem est in similibus præceptis habentibus tractum successivum: secus vero est in dispensatione quæ statim tota simul conceditur, et habet quasi indivisibilem effectum, tollendo inhabilitatem et impedimentum, aut votum; nam illa simul habet totum effectum, et simul etiam habere potest causam propter quam absolute concedatur.

19. Aliæ quæstiones hic tractari poterant, nimirum, quando liceat uti dispensatione, scilicet: an ante vel post notitiam ejus, et an ad illam vel illius usum requiratur acceptatio; item an extinguatur per primum usum ejus; item an liceat illa uti extra territorium concedentis. Sed hæc et similes quæstiones tractantur commodius de privilegiis; nam communem habent doctrinam.

## CAPUT XXI.

QUIBUS MODIS POSSIT ESSE NULLA SEU INVALIDA DISPENSATIO.

1. *Triplex defectus quibus dispensatio redditur invalida.*—Ex dictis in superioribus capitulis sumi potest alia divisio dispensationis; quædam enim esse potest valida et justa, alia valida, licet injusta; tertia nulla, seu invalida, quam non oportet distinguere in licitam vel illicitam, quia dispensatio invalida semper etiam illicita est, per se loquendo, quia conti-

net abusum potestatis contra rationem et prudentiam, nisi per ignorantiam excusetur. Duo igitur membra hujus partitionis ex dictis in superioribus manifesta sunt: declaravimus enim in dispensante necessariam esse potestatem et causam, ut valida et justa sit, si sufficienti voluntate et illius significatione concedatur, et consequenter declaravimus quando possit esse valida dispensatio propter potestatem et absolutam voluntatem, licet ex defectu causæ justa non sit. Solum ergo de invalida dispensatione et de causis nullitatis ejus aliquid dicendum superest. Triplex autem cogitari potest defectus ex quo dispensatio invalida fiat, scilicet, defectus potestatis, justitiæ, aut voluntatis. Nam hæc tria tantum requiri possunt ad valorem dispensationis, et ita ex quocumque defectu illorum, et ex solis illis potest nullitas dispensationis oriri. Ex his autem defectibus duo primi in superioribus explicati sunt, et solum de tertio aliquid addendum superest.

2. Primus itaque defectus per se notus est, quia sine potestate seu jurisdictione non potest fieri valide actus, qui ab illa per se et essentialiter pendet. Quibus autem modis contingat hic defectus potestatis, ex dictis de ipsamet potestate, et de modis habendi illam, accipiendum est: nam hic defectus esse potest, vel potestatis ordinariæ, vel delegatæ. Prior est in omnibus qui non habent munus cui proprio jure talis potestas conveniat; posterior vero erit in omnibus non habentibus potestatem ordinariam, quibus nulla delegatio facta est, vel non est valide facta. Et quidem si nulla omnino facta sit delegatio, res est per se nota. Solet autem fieri, vel per privilegia generalia data in favorem hominum quibus committitur, in quibus observandum est ne forma et tenor delegationis excedatur; neque hic possumus ad particularia descendere: nonnulla vero attingemus in libro 8, tract. de Privilegiis. Aliquando vero committitur hæc potestas per particularia rescripta dispensationum, quæ solent etiam, ut supra dixi, dispensationes vocari, quia in eis virtualiter et quasi conditione continentur, et ideo si tale rescriptum vel dispensatio in primo statu invalida sit, a fortiori erit invalida subsequens dispensatio virtute illius facta, diverso tamen modo; nam dispensatio ipsa erit invalida ex defectu potestatis, commissio autem seu delegatio prius facta non erit nulla ex hoc capite, quia supponimus a principe concedi. Ex aliis autem esse potest eodem modo quo dispensatio ipsa, et ideo nunc sub dispen-

satione totum cursum ejus seu omnes illius status comprehendimus.

3. De secundo defectu, constat ex dictis non semper esse irritantem seu annullantem dispensationem, cum possit esse aliquando dispensatio valida, licet male concessa. In duobus ergo casibus (qui ad unum fere revocantur) defectus justitiæ est contra valorem dispensationis. Primus est, si inferior dispense in lege superioris sine causa justa, ut in cap. 19 satis declaratum est. Secundus est, si dispensatio data, etiam a supremo principe, attingat aliquo modo jus divinum aut naturale, et sit contra jus acquisitum tertio, sive Deo, sive homini absque causa justa, ut de dispensatione in voto dixi, libro sexto de Voto, capite decimoseptimo. Eademque ratio est de omni alia simili, et dispensatione continente injuriam alterius contra commutativam justitiam, ut supra etiam in capite decimosexto sufficienter tactum est, et ideo de hoc defectu nihil novi dicendum superest. Præsertim, quia hic defectus semper est conjunctus cum defectu potestatis, quia nec inferiori data est tanta potestas supra legem superioris, ut supra etiam tetigi; nec supremo principi data est similis potestas in his quæ attingunt naturalem seu divinam justitiam, quia etiam ipse est longe inferior Deo, juris divini naturalis auctore.

4. Tertius autem defectus voluntatis inveniri potest sine defectu potestatis aut justitiæ, ut per se constat; potestque variis modis contingere. Primo, si revera in dispensante desit interior voluntas ac intentio dispensandi: hic autem defectus constare non potest nec præsumi, nisi per verba vel signa externa sufficienter manifestetur, et ideo de hoc defectu interioris voluntatis in se spectato nihil aliud dicere possumus. Præter voluntatem autem internam requiritur significatio ejus externa, ut dispensatio fieri possit; et ideo si voluntas dispensantis exterior non significetur sufficienter, ex illo etiam capite erit dispensatio invalida, quem defectum comprehendimus sub defectu voluntatis, utique sufficientis ut aliquid inter homines operetur. Quid vero dicendum sit si voluntatis significatio sit ambigua vel dubia, in superioribus tactum est, et infra tractando de privilegiorum interpretatione latius dicitur. Contingit autem interdum dispensationem satis clare et expresse concedi, et ex vera voluntate absoluta dispensantis, cum admixtione tamen alicujus involuntarii ratione cujus difficultas nascitur, an illud involuntarium impediat valorem dispensationis.

5. *Metus non impedit valorem dispensationis in voto vel lege humana, si detur cum absoluta voluntate, ex causa legitima.*—In qua re ulterius considerandum est ex duplici capite posse hoc involuntarium oriri, scilicet, ex metu seu coactione, vel ex errore seu ignorantia. Prior modus raro contingit in dispensationibus, et ideo fortasse nihil in speciali de hoc jura disponunt in materia dispensationis, nec a doctoribus fere hoc punctum tractatur; ego vero illud attingi de dispensatione voti dicto libro sexto, capite vigesimo septimo, numero decimoseptimo et decimo octavo, et in summa dixi metum non impedire valorem dispensationis voti, si de facto detur cum absoluta voluntate et ex causa legitima: idem ergo a fortiori censeo de dispensatione in lege humana, quæ facilior est: imo in hoc potest addi differentia, quia, si dispensatio sit in propria lege dispensantis, etiamsi propter metum detur sine justa causa, valida erit, juxta generalem doctrinam supra datam, sicut etiam revocatio legis facta ex metu est valida, si absoluta voluntate fiat, et independenter a causa. In quo etiam potest considerari ex ipso metu posse sumi justam causam dispensandi, quantum ad ipsum dispensantem, id est, ut non peccet sic dispensando, quia, ut dixi, ex causa extrinseca potest interdum honestari dispensatio.

6. Quod si objiciatur incommodum videri ut iniquus subditus ex iniqua violentia commodum reportet, respondetur primum fieri posse ut vis non ab illo, sed ab alio inferatur; deinde, fieri etiam posse ut metus non auferatur ad illum finem, sed aliunde nascatur, etiam sine culpa, ut si sit per bellum justum. Si vero metus sit injuriosus, et directe illatus ab obtinendum consensum, et injuria fiat ab eodem qui dispensationem desiderat, quæstio generalis est, an tunc ratione injuriæ irritetur consensus. Et certe in præsentem probabile est irritari quando dispensatio extorquetur sine justa causa, propter rationem factam, et quia non est verisimile aliquem liberari a jugo legis violando illam, et vim ac injuriam illi inferendo. Item, quia illa judicari potest potius permissio quam dispensatio, et ideo subditus in eo casu vix potest excusari a transgressione legis, cum præsumere possit ac debeat illum consensum superioris permissivum esse potius quam approbativum. Adde denique, si oppositum admittatur, facile esse remedium: nam dispensator, quamprimum sit suæ libertati restitutus, potest juste sine nova causa dispensationem revocare. In quo est alia differentia notanda

inter dispensationem legis et voti, quando effectum sortita est: quia dispensatio voti semel data non potest iterum imponi, nisi persona dispensata voluntarie iterum voveat. Dispensatio autem legis revocari potest, quia obligatio legis potest iterum imponi sine consensu subditi per voluntatem legislatoris, et ita revocata dispensatione statim redit illa obligatio.

7. *Duplex caput ex quo dispensatio redditur nulla, nimirum taciturnitate veri, et narratione falsi.*—Circa aliam causam hujus involuntarii, scilicet, ignorantiam et errorem, duo principia ex jure desumpta proponi in dicto capite vigesimo septimo: unum est, dispensationem interdum fieri nullam ex falsa narratione proposita ad dispensationem obtinendam; aliud est, dispensationem aliquando esse nullam, ob diminutam narrationem veritatis, tacendo aliquam causam vel circumstantiam necessariam. Ratio utriusque est, quia dispensatio, per surreptionem obtenta, est nulla; sed dispensatio fit surreptitia per taciturnitatem veri, et a fortiori per expressionem falsi; ergo ex his duobus capitibus fit dispensatio nulla. Consequentia est evidens. Totum autem antecedens sumitur ex capite secundo de Filiis Presbyter. in sexto, et capit. *Quod super his*, de Fide instrumentor., cum aliis juribus et doctoribus quos in prædicto loco allegavi. Quia vero non omnis occultatio veritatis, aut falsitatis expressio invalidam reddit dispensationem, ideo ad hoc discernendum multa a doctoribus scribuntur, quæ in citato loco pro capitu meo in summam redegi, duas regulas circa illa duo principia assignando, et explicando quæ in dispensatione legis eadem seu proportionali ratione locum habent, neque illis nunc aliquid addendum in generali occurrit circa falsitatis expressionem. Circa occultationem autem veritatis tria puncta occurrunt, quæ ad hujus materiæ complementum necessaria visa sunt.

## CAPUT XXII.

UTRUM OBTEANTA DISPENSATIO, PRIUS PETITA, ET NON CONCESSA, SURREPTITIA SIT PROPTER TACITURNITATEM ILLAM.

1. Frequenter contingit ut dispensatio semel petatur et denegetur, et postea iterum petatur tacita priori denegatione, et obtineatur. Inde ergo nascitur dubium an talis dispensatio sit nulla ob priorem taciturnitatem;

et ratio dubitandi esse potest, quia verisimile est superiorem non concessurum dispensationem, si prioris denegationis memoriam vel notitiam haberet. Et ita dispensationem esse nullam indirecte asseruit Menoch., libro secundo de Arbit., casu 203, numero sexto: contrarium tamen opinatus est Sanc., l. 8 de Matrimon., disp. 22, n. 14, quia hoc nullo jure disponitur, neque ab aliis auctoribus asseritur, nec sufficienti ratione probatur. Quæ sententia mihi etiam placet, quia illa præsumptio nullo jure fundata est, nec per se spectata est sufficiens. Et quidem si in secunda petitione plures rationes et causæ allegentur, quæ dispensationem magis honestent, et superiorem magis movere prudenter possint, tunc nec probabilis est illa præsumptio, nec in eo casu superior esset rationabiliter invitus. Si autem nihil de novo additur, sed eadem repetitio et cum eisdem circumstantiis, vel causa prior erat sufficiens ut dispensatio esset valida, si concederetur, et ita in secunda vice erit sufficiens, quia prior denegatio nihil ad causam refert, et ob eam solam causam denegare dispensationem non videtur rationi consentaneum; nam si justa causa subest, potius decet priorem rigorem temperare; aut vero justa causa dispensandi non subest, et tunc neganda esset dispensatio, etiamsi prius negata non fuisset. Hæc ergo circumstantia præcedens, vel memoria ejus, impertinens est ad valorem dispensationis postea subsequatæ.

2. *De quo procedit præcedens resolutio.* — Atque hæc resolutio procedit, tum in eadem persona, quando propter mutationem temporis prioris denegationis oblita est; nam de illa maxime procedit discursus factus; tum in successore respectu prædecessoris in eadem sede, quia habet eandem potestatem, et non regitur per iudicium et voluntatem sui prædecessoris, et ita in illo multo minus probabilis est illa præsumptio involuntarii, præterquam quod hic etiam nihil ad causam refert. Tum præterea idem procedit in superiore respectu inferioris, ut si Episcopus neget dispensationem alicujus voti non reservati, et a Papa postea obtineatur, non facta mentione prioris recursus ad Episcopum, valida erit dispensatio, quia multo magis videtur impertinens illa circumstantia respectu superioris; minus enim regitur inferioris iudicio aut ex eo pendet, multoque minor præsumptio involuntarii est in superiore, minusque ad causam refert.

3. At vero e contrario nonnulla difficultas est, si superior dispensationem negavit, et pos-

tea inferior inscius illius negationis illam concedat. Quia inferior tenetur præsumere superiorem juste negasse dispensationem; ergo de illo etiam merito præsumitur non fuisse concessurum dispensationem, si sciret fuisse a superiore denegatam; ergo illa taciturnitas seu ignorantia causat in inferiore justum involuntarium; ergo, illa ratione, erit invalida talis dispensatio. Unde in hoc casu dispensationem inferioris esse invalidam tenet idem Sanc., dicto lib. 8, disput. 14, n. 5, quamvis propter aliam rationem, scilicet, quia eo ipso quod Pontifex denegavit, videtur facultatem auferri inferiori in illo casu particulari dispensandi, nisi nova causa emergente, seu proposita. Juxta quam rationem non fundatur hæc nullitas in defectu voluntatis, sed in defectu potestatis. Unde fit, juxta hanc sententiam, ut, licet Episcopo declaretur Pontificem in tali casu noluisse dispensare, licet dispensare tentet, nihil efficiat, quia privatus est potestate. Sicut, postquam Pontifex aliquem condemnavit, non potest Episcopus illum absolvere, licet fortasse potuisset si causa prius ad illum delata fuisset.

4. Hæc vero ablatio potestatis, præsertim ordinariæ, mihi non videtur sufficienter probari, quia illa præsumptio nullo jure fundatur, neque ex illo facto sufficienter colligitur, considerata natura dispensationis, quæ est quædam gratia. Cum enim dispensatio non sit debita, potest denegari a Pontifice ex sola voluntate: ergo per hoc non est cur censeatur auferre ab inferiori potestatem illam concedendi, si velit. Deinde denegatio dispensationis potest provenire ex particulari iudicio, quod talis causa non sufficiat ad justam dispensationem; sed Episcopus non tenetur conformari Pontifici in hoc iudicio: ergo neque in eo casu tenetur præsumere fuisse mentem Pontificis in illo casu sibi auferre potestatem dispensandi. Imo potest præsumi voluisse se exonerare, tacite subditum ad suum ordinarium remittendo. Consequentia cum majori videtur clara. Minor autem patet, quia, licet Papa non soleat dispensare ex aliqua causa, neque admittere illam ut sufficientem, potest Episcopus dispensare ex illa, si probabiliter iudicet esse legitimam. Quod concedit idem Sanc. supra, quando de illa consuetudine, seu iudicio Pontificis ex aliis casibus in generali constat, non vero quando in particulari casu præcessit denegatio dispensationis.

5. Sed non video quid hoc referat, aut cur inde censeatur ligata potestas inferioris, cum illa denegatio tantum sit applicatio propriæ

voluntatis ad operandum juxta proprium iudicium, cui non repugnat ut alteri relinquatur sua potestas, et arbitrium operandi etiam juxta iudicium suum. Neque per hoc derogatur potestati Pontificis, quia inferior, dum non prohibetur, potest in suo foro uti sua potestate ut iudicaverit expedire; hic autem nulla facta est prohibitio. Nec petitio prius oblata Pontifici operatur præventionis effectum, ne liceat postea id ab inferiori petere; tum quia in usu jurisdictionis voluntariæ non habet locum hæc præventio, cum liberum sit postulanti recedere a priori petitione, et aliam intentare, ut sensit Navarr., cons. 1 de Offic. deleg., et idem Sanc. supra, n. 3; tum etiam quia superior, negando dispensationem, jam quodammodo a se abiecit casum illum. Unde etiam non est simile, quod de condemnatione a superiori facta afferebatur, quia condemnatio fit per sententiam quæ includit præceptum, et imponit obligationem quam non potest inferior auferre: negatio autem dispensationis non fit per sententiam iudicam, nec præceptum aliquod vel obligationem superior per illam imponit, sed solum relinquit præexistens vinculum, denegando usum propriæ potestatis: ergo non est cur inde censeatur ligata et diminuta inferior potestas.

6. *Dispensans non ignorans priorem denegationem, si iudicat causam esse justam, valida erit dispensatio.* — Censeo igitur in illo casu posse Episcopum dispensare, et consequenter, si id faciat non ignorans priorem denegationem et iudicans causam esse legitimam, dispensationem esse validam, quia neque habet defectum potestatis, nec voluntatis, nec justitiæ. Imo, si dispensatio esset in lege propria, sufficienter potestas et voluntas, juxta superius dicta. Unde ulterius in nostro casu, quando Episcopus ignorat priorem recursum ad Pontificem, etiam existimo taciturnitatem illam non reddere dispensationem surreptitiam, vel nullam, quia supposita potestate, quoad voluntatem eadem est ratio in inferiori quæ in æquali vel superiori, ut ex dictis facile constat.

7. Et hæc resolutio, ut dixi, maxime procedit in inferiori ordinario, quia ordinaria potestas difficilius tollitur, et majorem causam requirit; et ideo in delegato ad dispensandum videri potest magis verisimile, quod privetur potestate dispensandi in casu, et ex causa quæ delegantem non movit, aut certe quod non præsumatur a principio delegata potestas pro similibus casibus. Sed nihilominus etiam in delegato contrarium censeo, quia potestas generaliter et sine restrictione commissa non est

restringenda sine majori fundamento, et rationes factæ etiam probant ex sola denegatione non posse colligi diminutionem prioris potestatis, etiam delegatæ: nam sæpe superior committit alteri potestatem delegandi, quia ipse non vult vel non audet sua uti, et quia, quando potestatem delegat, prudentiæ delegati committit iudicium causæ justæ. Supposita autem potestate in delegato, quod pertinet ad voluntatem, rationes eodem modo procedunt, et ideo indistincte verum est in eo casu non committi surreptionem quæ dispensationem reddat invalidam.

## CAPUT XXIII.

## AN TACITURNITAS PRIORIS DISPENSATIONIS OBTEŒ REDDAT POSTERIOREM INVALIDAM.

1. Multi jurisperiti indistincte affirmant, sicut impetratio secundi beneficii, vel secundi rescripti justitiæ, facta sine narratione prioris beneficii, vel rescripti jam obtenti, est surreptitia et nulla, ita secundam dispensationem obtentam sine mentione primæ esse surreptitiam. Ita notat Glossa in cap. 2 de Filiis Presbyter., quæ ibi ab expositoribus et communiter a juristis approbatur, ut notat Rebuff. in Pract., tit. de Dispensat., n. 24 et 25, et tit. de Dispensat. super defectu natalium, n. 59, et Covar., l. 1 Variar., cap. 20, n. 8, vers. quarto, in fine; Molin., lib. 2 de Primogen., cap. 4, n. 50 et seq.; et Gutier., lib. 2 Canon. quæst., cap. 15, n. 91; et plures refert Sanc., lib. 8 de Matrim., disp. 22, n. 2. Quæ sententia præcipue fundatur in dicto cap. 2 de Fil. Presbyter., in 6, et in cap. penult. de Prescript. Ratio vero seu congruentia est, quia Pontifex vel non concederet, vel difficilius concederet dispensationem secundam, si de priori mentio facta fuisset.

2. *Variæ limitationes præcedentis sententiæ.* — *Prima limitatio.* — Hæc vero sententia variis modis limitatur ac declaratur. Primus est, ut procedat, quando dispensationes ad diversos finem tendunt, et sunt obtenta propter diversos effectus: secus vero si propter eundem, quia, cum una sufficiat, non est necesse facere mentionem de alia. Ita habetur in additione ad Rotam in decis. 2 de Filiis Presbyter., in novis, n. 5; alias in novissimis, tom. 3., lib. 2, decis. 47, et sequitur Mandos. de Signatura gratiæ, tit. de Dispensat., in fine. Quam sententiam referens Sanc. supra, n. 5, dicit penitus illam non intelligere, neque sine